



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Scopvs Biblicvs Veteris Et Novi Testamenti**

**Novicampianus, Albertus**

**Antverpiae, 1566**

Widmung

**urn:nbn:de:hbz:466:1-30443**

ILLVSTRIS  
SIMO PRINCIPI

Ioanni Sigismūdo, Ioānnis Regis  
Hūgarie, Dalmatie, Croatiae  
filio, Duci Opoliensi, Ra-  
tiborien. &c.

ALBERTVS NOVICAM-  
pianus S. P. D.

**S**igismundus Augustus Rex Polo-  
niae inclytissimus, pietateque insi-  
gnis, cum me ad te instituendum  
mitteret, Ioannes Sigismunde, id  
vnum, inter cetera, diligentissime monuit,  
sedulo niterer, vt legendis literis sacris, an-  
imum tuū teneris ab annis pietate Christia-  
na imbuerer studerem. Neq; id temere. Bene  
etenim ille pro sua singulari prudentia, & Reipub. quid  
experiētia mira in administrādo regno par in primis  
ta, perspectum habet, pietatem sacrarumq; necessariū  
literarum lectionem, his qui Reipub. prae fu-  
turi sunt in primis necessariam esse. Quippe  
qui si impij improbiq; fuerint, non sibi solū  
nocituri, sed alios etiam pessundaturi sint.  
Partim quod multiū mali in exēplo illorum  
sit Talis enim ciuitas esse solet (inquit Pla-  
to) quales sunt principū mores. Studiose nā-  
que pleriq; , praesertim in hanc partē, facta  
principum imitatur, eaque suis vitijs prae-  
sequunt, persuasum habentes, illa, aut non

Præfuturis  
Reipub. quid  
in primis  
necessariū  
præ fu-  
turi sunt  
necessariam esse  
Quippe  
non sibi solū  
pessundaturi sint  
inquit Pla-  
nā-  
facta  
prae-  
officiat  
non





ALBERTI NOVIC.

indecora esse: aut, licet parum recta sint, exemplo principum, quorum auctoritate maximè nituntur, defendi posse. Partim quod quicquid principes delirent, plebs plerunque plecti soleat, & pro illorum malefactoribus, Deo irato pœnas luat. Quamvis autem ea res minimè dubia sit, atque ob id testibus non egeat: tamen cum tecum, qui puer es, agam, exempla eorum quorū res gestas aliquando à me audisti, ad hanc rem pertinentia proferā. Est enim per exempla iter docendi efficax. An non fastu & impietate Nabuchodonozoris regis factum, ut in furorem actus, nullo discrimine à bestia differens, fœnum ut bos comederet? Saul rex cur obsecro à Deo desertus & proiectus, ne rex fieret? Non ob aliud sanè quàm ob verbi diuini contemptum. Nonne mollicies & effeminati mores Sardanapali causam belli contra se suscipiendi suis præbuere? An non auaritia & seuitia Sergium Galbam Romanis inuisum ac exosum sic reddidit, ut iugularetur? Quid aliud quæso quàm fœdum ingenium & luxuria qua turpiter disfluebat, Vitellio Cesari exitio fuit? adeo ut manibus post tergum reuinctis, & laqueo collo iniecto, furcâq; sub mentum posita, diu per urbem tractus, quibusdam fimo cœnoq; incessentibus: deinde numerosis ictibus confossus interierit, postremoque vnco in Tyberim tractus sit. Taceo Demetrium quem

Iter docendi per exempla efficax. Nabuchodonozor. Saul.

Sardanapalus. Sergius Galba. Caesar.

Vitellius. Caesar.

Demetrius

Mase-



## EPISTOLA.

Macedones reliquerunt, vniuersiq; ad Pyr-  
 rhum confugerunt. Et Phalarim, cuius præ Phalaris.  
 ter ceteros nobilitata est crudelitas, in quē  
 vniuersa multitudo Agrigentinarū impetū  
 fecit. Iulium item Casarem viginti tribus Iulius Cæ-  
 vulneribus confossum, quod iura diuina sar-  
 & humana peruerterat. Prætermitto Pe-  
 trum regem Hungariæ, bis propter tyrāni- Petrus Rex  
 dem regno exclusum, Abam quoque in eo- Hungariæ.  
 dem regno ob parem culpam peremptum. Aba Rex  
 Nolo referre Pompilium parricidam Polo- Hungariæ.  
 nie Monarcham à muribus (mirabile di- Pompilius.  
 Etu) exesum, nulla vi impetum illorum re-  
 primere valente. Bolestaum quoque auda- Bolestaus  
 cē propter nefanda scelera corona priuatū, audax.  
 & regno pulsum, ad extremumq; amētem  
 à canibus discerptum: vt verum sit illud:  
 Ad generum Cereris sine cæde & vulnere Iuuenalis.  
 pauci

Descendunt reges, & sicca morte tyranni.  
 Quam vero ad mala patranda, principes Exēpla ma  
 suo exemplo pellicere soleant suos, authori- la Principū  
 tatē adducere, etsi exēpla sæpissimē sup-  
 peditentur plurima, tamen aliqua profe-  
 ram. Lucij Luculli summi viri (ait Cicero) Lucullus.  
 virtutem quis? at quā multi villarū mā-  
 gnificentiam imitati sunt? Ieroboam (vt sa Ieroboam.  
 cra tractans, ex sacris exempla proferā) vi 3. Reg. 12.  
 tulos conflatos colens, ad adorandos illos,  
 qui eius imperio suberant, perduxit. De  
 Achab idem idololatra, sic exemplū cepere Achab.



3. Reg. 19. sui, ut Elias propheta se solum ab idololatria alienum relictum esse quereretur. Neque id inulium tulerunt. Ieroboam enim idolis tuis adolenti, manus quam in prophetam corripientem se extenderat, mandans apprehendendum subito aruit, ut illam inflectere minimè quiret. Huc accessit quòd
2. Para. 13. quingenta millia hominum ex Israël bello uno die periere, Ieroboamque à Domino
3. Re. 17. 18 percussus mortem oppetiit. Achab verò regnante, cum tribus annis & sex mensibus non pluisset, fame plurimi miserabiliter e-
3. Reg. 22. necti sunt. Porrò Achab in prelio vulnere accepto, extinctus est, et linxerunt canes sanguinè eius, iuxta verbum Domini. Ita quidè principes & homines ad malum exemplum principum sese cõponentes grauisimas p-
- Principe de nas dare solent. Neq; solū id ex errore prin-
- linquente cipum pendentibus accidere solet, verum
- populus pœ etiam solo principe delinquente. Cuius rei
- nas dat. exemplum in Dauide videre est. Qui cum
- Dauide. instinctu sathanæ populum numerasset, ni-
2. Reg. vi. mirum eius numerum nosse percipiens, se-
1. Para. 21. ptuaginta millia virorum peste ceciderunt. Quam luem miseratus Dauid, cernens angelum populum cadentem, in eam vocem prorupit: Ego sum qui peccaui, & ego iniquè egi, isti qui oues sunt quid fecerunt!
- Balthasar Blasphemæ item voces in Deū Balthasaris
- Babyl. regis, interitum regni totius attulerunt, id
- Dan. 4. quod futurum ostenderat manus in pariete visa,



EPISTOLA.

*visa, scribens Balthasarem cum toto regno  
 periturum esse. Nec defuit euentus. Perse  
 enim & Medi subita irruptione facta, Ba-  
 bylonios obruerunt, regnoque potiti Baltha Pharaos.  
 sarem occiderunt. Duritia Pharaonis, et cor  
 penitere nescium, quantis calamitatibus? Exod. 8. 9.  
 quantis aerumnis? quantis cadibus Aegy- 10. 14.  
 ptum afflixit? Postremo & ipsum Pharao-  
 nem cum toto exercitu aquis rubri maris  
 obrui fecit. Quin & Sedechias Ieremie Sedechias.  
 prophetia contemnens, a Nabuchodonozore 4. Re. ult.  
 rege captus, in conspectu suo filios trucidari Iere. 38. 39.  
 vidit, ipsi autem eruti sunt oculi. Ierosolyma  
 funditus eversa: templum iussu Dei erectum,  
 destructum est: selectissima pars Iudaici popu-  
 li una cum rege in seruitute Babylonicam  
 abducta est, quam septuaginta annis per-  
 tulit. Tempus me deficeret, si exemplis do- Impietate  
 cere vellem, impietate principum fieri ut principum  
 bellis, seditionibus omnia ferueant, alia omnia bel-  
 aliud ferantur, omniaque misceantur et mu- lus feruent  
 tentur. Ad cuius rei acerbitatem & tristi- & miscen-  
 tiam declarandam nonnulli principum, fa- tur.  
 ces orbis et humani generis appellati sunt. Caligula,  
 Quales fuere Caesares, Caligula, Domitius, Nero,  
 Nero, Commodus, & ceteri. Tales principes Commodus  
 Homerus iure Διμοβόγους appellat, qua- Principes  
 si tu dicas voratores populi, quod res po- Διμοβό-  
 puli ceu barathra quaedam absument, & igitur ab Ho-  
 abliguriant. Quin & ipsos populos tru- mero appel-  
 sident, & digladiando inter se perdant. lati.*

A 4 Vides



ALBERTI NOVIC.

Vides Ioannes Sigismunde ceu in speculo  
quantum impij et improbi principes & si-  
bi & alijs officiant. Quamuis autem ex ijs  
Pietas prin-  
cipum qua-  
m coferat. iam colligere poteris, quã opere pietas prin-  
cipum, ipsis & rebus publicis conferat, con-  
trariorum siquidem eadem disciplina est,  
tamen, vt cœpi, exempla proferam, vt ob-  
oculos ponam, & quasi digito commostrem  
ita fieri. Quid Iudeis contra Amalechitas  
Moyfes. pugnantibus victoriam attulit, illisq; ali-  
Exod. 17. quando Deum placatum reddidit? Pietas  
Nume. 14. quando Deum placatum reddidit? Pietas  
Samuel. Quid effecit ne Samuel eiusdem gen-  
1. Reg. 12. tis princeps, bouem aut asinum (vt ipse re-  
fert) alicui eriperet? neue quempiam calum-  
niaretur, opprimeret, vel munere à quo-  
quã dato gauderet? Pietas. Quid Dauidem  
Dauid. regem impulit, ne illum ante arcam domi-  
2. Reg. 6. ni saltare, fidibusq; canere puderet? Pietas.  
Præterea vt iniuriam à Semei illatã, quod  
2. Reg. 6. à Deo esset, non vlcisceretur? Pietas. Sauli  
1. Reg. 24. item se persequenti vt parceret, cum illum  
26. bis oblata occasione dare neci potuisset?  
Pietas. Nõ enim fuit hæc illum afferre ma-  
nus Christo Domini, sed vindicandũ Deo  
Psal. 100. relinquere. Eadem factum, vt idem, nulla  
interposita mora, interficeret omnes pecca-  
2. Reg. 8. tores terræ, vt disperderet de ciuitate Domi-  
ni omnes operantes iniquitatem, faceretq;  
iudicium & iustitiam omni populo. Quis  
Esaie. 38. censeret non propter pietatem Dauidis, Do-  
minum pollicium fuisse protecturum se.



EPISTOLA.

& conseruaturum ciuitatem Ierusalem? 4. Reg. 19.  
 quod vt verax est, præstitit. Nam centum  
 octoginta quinque millia Assyriorum, qui  
 Ierusalem obsidione cinxerant, ab angelo  
 percussa sunt. Non aliunde sanè quã à pie-  
 tate profectum existimem, quòd Iosaphat Iosaphat.  
 rex, in ciuitates Iuda prædicatores misisset, 2. Paral. 17  
 qui verbum Dei syncerè docerent. Quã ob-  
 rem pauor Domini super omnia regna na-  
 tionum finitimarum irruerat, ne bellum  
 contra Iosaphat ab illis moueretur. Pietate  
 motus Ezechias, serpentem æneum à Moy-  
 se factum, cui Iudæi sacrificabant, contri- Ezechias,  
 uit, indignissimum ratus Dei viui gloriam 4. Reg. 18.  
 dari sculpsit. Huius Regis precibus  
 quam benignas aures Dominus accommo- 4. Reg. 19.  
 dauit, indicat strages centum octoginta  
 quinque millium hostium ab angelo occiso-  
 rum. Quid putas causæ fuisse nisi pietatem?  
 vt Constantinus ille Magnus præter egre- Constanti-  
 gia dona diuorum templis illata Christum nus Magn<sup>9</sup>  
 ab omnibus colendum præciperet: in Nice- l. 2. hi. eccl.  
 naque synodo, cum sacerdotes inter se con- Nicænum  
 tenderent, singulorum libellos quibus cul- concilium.  
 pæ continebantur, in sinu continens, ne il-  
 lis perscripta; rumoribus differantur, ad  
 Episcopos diceret, illos esse datos homini-  
 bus Deos, atque ob id iudicandos ab illo solo,  
 de quo scriptum est: Deus stetit in synago-  
 ga Deorum, in medio autem Deos discer-  
 nit: Proinde missis contentionibus, ea quæ s<sup>t</sup> Psal. 81.



## ALBERTI NOVIC.

*dei sunt, ut discuerent, moneret, libellosq;*  
*querimoniarū exuri iuberet, ne palam fe-*  
*ret odium & digladiatio sacerdotū. O men-*  
*tem pietatis plenam, & monarcha orbis*  
*dignam. Ita ille nouerat, quæ regum, quæ*  
*sacerdotum sunt propria, neq; illa miscere,*  
*conturbareque volebat. Pietatem & illud*  
*Theodosij Cæsaris factum refert, qui diuum*  
*li. 9. ca. 30 Ambrosium patienter tulerat, cū illum*  
*histo. eccle. censuris ecclesiasticis percelleret, templum-*  
*que ingredi vetaret, monens ut vinculum*  
*quo Dominus illum ligarat, susciperet. Qui*  
*gemens & flens in regiā reuersus, illi morē*  
*gestit. Iusserat enim Theodosius cū Thessa-*  
*lonicæ seditio esset orta, aliquot millia ho-*  
*minum trucidari. Pietas in Carolo Magno*  
*Carolo Ma & Lodouico eius filio præclaras virtutes*  
*gnus. produxit, ob quas ille Christianissimus, hic*  
*Lodouicus verò Pius nuncupatus est. Stephanus ille*  
*Pius. rex Hungariæ, si à pietate alienus fuisset,*  
*Stephanus rex Hung. neutiquam in id toto conatu incubuisset,*  
*quò Hungari depulsa veteris vitæ caligi-*  
*ne, ad Euangelicæ veritatis lumen accede-*  
*rent, legibusq; & institutis optimis firma-*  
*rentur. Andreas eiusdem Hungariæ Rex,*  
*Andreas rex Hung. cū in alijs: tū in hoc se pietatis studiosum*  
*exhibuit, quòd intellecta vxoris culpa in*  
*exemplum seruandæ pudicitie, eam iure ce-*  
*sam à Bancbano iudicauit, et eum à senten-*  
*tia absoluit. Vxorē enim Bancbani illa fra-*  
*tri suo violandam tradiderat. Adeo re ipsa*  
*is rex*



EPISTOLA.

is rex cōprobavit, quòd aliquādo Traianus Traianus  
 Caesar sibi fieri à præfecto mandarat, si mi- Caesar.  
 nus iustè ageret. Cùm enim ille præfectum  
 pretorio designasset, gladio in manus eius  
 porrecto, hæc verba subiecit: Vtere hoc ad-  
 versus hostes meos, in iustis causis: si mi-  
 nus iustè egero, in meipsum gladiū stringi-  
 to. O factū principe dignum, eo qui Reipu-  
 blicæ utilitati magis studet quàm suæ. No-  
 uerat hic iustitiæ vim (cùm illa etiā latro-  
 num opus firmet, & augeat) maximā inter  
 leges, & iudicia Reipu. esse. Quantam verò  
 eius bonitatis famam retulerit, acclama-  
 tiones populi principib⁹ exhiberi solitæ de- Augusti fe-  
 clarant, cùm Augusti felicitatem, bonita-  
 tem Traiani his adprecarentur. Hæc eadem licit as.  
 pietas Sigismundum illum Regem Polonia Bonit as.  
 auum tuum, nunquā satis laudatū, eò per- Traiani.  
 duxit, ne regnum Bohemiæ, Hungariæ vl- Sigismun-  
 tro illi oblatum acceptaret. Diuinis nanque dus rex Po  
 disciplinis edoctus fuerat, iudicium duris- loniæ.  
 simum futurum principibus qui sibi solūm Sapien. 6.  
 in turbis nationum placerent, principum  
 verò munus obirent minimè. Ad eum mo-  
 dum pietas efficit, vt alij regna cōtemnant,  
 vbi vident se illis prodesse non posse. De  
 quibus tamen alij inter se nō sine maximo  
 suo, & suorum malo contendere solent, e-  
 tiam si videant se illa nō volere tueri. Iam  
 cùm non pauci principum ( licet id Aposto-  
 lus vetuerit ) quouis vento doctrine cir- Ephes. 4.  
 A 6 CUM



**Galat. 5.** cumferantur, eorum præsertim qui libertatem Christianam dant in occasionem carnis: ille idem Sigismundus (cuius tu crebra mentione gaudes) ceu illustre quoddam omnium virtutum regiarum monumentum, pro sua summa pietate & prudentia ab eo sibi & suis diligentissime cauit, sentiens non vniuscuiusvis, aut priuatorum paucorum, verum Ecclesiæ catholicæ iudicio standum

**Matth. vii.** esse. Cui Christus affuturū se promisit omnibus diebus, vsq; ad cōsummationē seculi. In summa pietas facit, vt principes cuncta quæ agunt ad Reipublicæ vtilitatem referant, obliti commodorum suorum, vt etiam vitam suam profundant, dum ei prodesse student. Quales, inter cæteros plurimos

**Vladislaus** fuere Vladislaus & Lodouicus Reges Hungariæ, qui contra Tarcas pugnantes reges Hun perierūt, ille apud Varnam, hic verò apud gariæ. Mochacium. Habes Ioannes Sigismunde

**Pietas fons** oculis subiectum, pietatem principum maxime vtilem esse, & omnium virtutum fontem. Vt enim ab impijs (iuxta vetus, & à 1. Reg. 24. 1. Timot. 4.

**Pietas quid** esse dixit. Pietatem autem voco religionem, hoc est, cultū Deo debitum, obseruationemque præceptorū illius. Quod si hominis quæ reueremur, vniceq; amamus, iussa animo promptissimo capeamus, vt quæ charissimi

simus



EPISTOLA.

finis, diligentissimam operā damus: Quo-  
 modo non multo maxime, si pietate in De-  
 um flagrauerimus, affectu synceriore ple-  
 nioribusque obsequijs illum demerebimur?  
 Porro pietatem syncerā ex literis sacris hau-  
 riendam esse, in confesso est. Illæ enim sunt *Pietas syn-*  
 quæ, docete Christo, testimoniū de Deo per- *cera ex lue-*  
 hibent. Illas cœleste numen, hoc est, veritas discenda. *ris sacris*  
 inspirauit. Illæ, mirabile dictu est, quàm ra- *discenda.*  
 piant attentos, moueantque atq; transfor- *Utilitas sa-*  
 ment: atq; ob id igni, & malleo conterenti *crarum.*  
 petram, gladioque ancipiti comparantur. *Hier. 23.*  
 In his ignorantie tenebris hæc est, dicente *Hebræ. 4.*  
 Dauide, lucerna pedibus, hoc est, lumen se- *Psal. 118.*  
 mitis nostris. Hæc est (vt idem loquitur) *Psal. 22.*  
 mensa in conspectu nostro à Deo parata, *discenda.*  
 aduersus eos qui nos tribulant. Non enim  
 aliunde efficacius solamen aduersus tribu-  
 lationes, quàm ex literis sacris haberi po-  
 test. Hæc sunt arma, quibus in militia vi-  
 tæ nostræ aduersus impetum hostium spi-  
 ritualium pugnandum nobis est. Quod Chri-  
 stus suo exemplo docuit, cùm diabolo iētans  
 ti se, sacram scripturam protulit, qua illum *Matth. 4.*  
 refelleret. Et vt paucis complectar, Scri-  
 ptura sacra (vt Paulus docet) ad omne o-  
 pus bonum homo Dei instructus redditur.  
 Quamobrem regibus & Principibus, quo- *Principibus*  
 rum autoritate maxime homines ducuntur *sacri libri*  
 & reguntur, literis sacris præcipitur, vt le- *legendi.*  
 gem Dei omnibus diebus vitæ suæ legāt, vt  
 discant



**Deut. 17.** discant timere Dominum Deum suum, &  
**Iosue. 1.** custodire praecepta eius, à quibus non decli-  
 nent, nec ad dexteram nec ad sinistram, vt  
 longo tempore regnent, & filij ipsorum.

**Consilium** Earum igitur rerum non ignarus Sigis-  
**Sigismundi** mundus Augustus Rex Poloniae clemen-  
**Augusti.** tissimus, & verbi diuini amantissimus,  
 tibi ex animo consultum iri cupiens, sedu-  
 lò hortatus est, vt in te docendo primam ra-  
 tionem pietatis habeã. Quod equidem etsi  
 suapte sponte fecissem, tamen illo monente  
 & mandante quàm diligentissimè id mu-  
 neris obeam, tu ipse optimus testis esse po-  
 teris. Atque vt eius mei conatus, euidentius

**Causa libri** testimonium, simulque vberior fructus ex-  
**presentis** taret, librum quem, antequàm ad te man-  
**excudendi.** dato regio irem, in gratiam studiosorũ scri-  
 bere inchoauerã, Magnificoq; Domino Spit-  
 conii Castellano Sandecensi nuncupare de-  
 creueram, nunc perficiendum ac typis ex-  
 cudendum curauì, vt tibi viam quandam  
 ad literas sacras aperirem, monimentumq;  
 mei tibi relinquerem, ex quo audita à me  
 facilius retractare poteris. Eum quidem li-  
 brum apud te agens, sub nomine tuo liben-  
 tissimè edidissem, illique planè consecras-  
 sem, nisi antè Mæcenati meo, licet imper-  
 fectus dicatus fuisset. Tamen cùm illi, in

**Ratio epi-** te instituendo, supremam manum addide-  
**stole præ-** rim, & propter te perficiendum maturau-  
**sentis.** rim cõmittere nolui, quin Epistolã illi præ-  
 fige-



EPISTOLA.

figerem, qua tibi à me, & ab eodem Magnifico Spiccone tui amantissimo & obseruantissimo offeratur, & commendetur, simulq; consilium sapientissimum & saluber-  
 rimum Sigismundi Augusti Regis auunculi tui ostendatur, quò ad id sequendum reddaris alacrior & promptior, tum illius in se  
 animum propensissimum & benevolentissimum vel inde agnoscas. Quòd si liber hic tibi alijsq; legentibus aliquid fructus pepererit, bene mecum agi putabo, quòd finem  
 destinatum assecutus sim. Sin minus: tamè neque ea ratione me lusisse operam existimabo, utpote qui conatum & voluntatem  
 meam, quæ in magnis nõ temerè reprehendi solet, declarauerim, alijsq; eius faciendi quod ipse prestare non potui, exemplum  
 præbuerim. Si quid autè à me erratũ quispiam repererit: primũ id mihi cũ multis, iisdemq; summis commune esse sciat. Est enim cuiusuis errare. Deinde sibi persuadeat, me errori assentiri nolle, quòd id non  
 nisi dementis esse sciam. Hoc ubi fecerit, paratior veniã dabit. Nisi fortè ex eorum numero sit, qui in eo se doctos arbitrantur, se doctos  
 si alijs detrahant. Ingenio enim, aut ille, qui se detrahant, si velit cedere, rarus erit. Caterum, ut Graeci dicunt, πολλὰ καυillosαὶ ἥσσον ἔστιν  
 ἢ μιμνήσθουςθαι, hoc est, multa cauillari promptius est, quàm emulari. Nitore  
 verborum, & sublimitate sermonis, quæ parum



Parenæsis  
ad Princi-  
pem.

parum valeo, res, quam scribo, ornari ve-  
nuit contenta doceri. Accipe igitur munus  
Ioannes Sigismunde, à me tibi oblatum,  
mea quidē sententia ratione materiae, quā  
tracto, magnum tibiq; persuade, te cū ob  
alia, tum propter tuam egregiam indolem  
esse charissimum Sigismūdo Augusto, rara  
quadam & inaudita clementia regi, Se-  
renissimæque ac gravissimæ Bonæ Sfortiæ  
Poloniæ Reginæ prudentissimæ. Imprimis-  
que matri tuæ Isabellæ Reginæ Hungariæ  
singulari quadā clementia, animoq; planè  
heroico, ac aduersis rerum vndis immer-  
sibili prædita. Illustri item ac Magnifico Do-  
mino Comiti Petro VVicz, viro mitissimo et  
integerrimo, tuique amantiissimo, qui pro-  
pter te vnū possessiones amplissimas in Hū-  
garia dimisit, cæterisq; omnibus multò ta-  
men te chariorem fore putato, si, ut cœpisti,  
pietati cæterisque virtutibus, & disciplinis  
Principe dignis, studueris. Nihil enim cha-  
rius, nihil amabilius virtute. Regio sangui-  
ne, eodemq; clarissimo ortum ducis. Reges,  
Princeps inclitissimos sanguinis cōiunctio-  
ne deuinctos habes, ipse Princeps. Quamob-  
rē, oculi omnium in te conijciuntur, quidue a-  
gas, quemadmodum viuas, inquiritur. Et  
tanquā in clarissima luce verferis, ita nul-  
lum obscurum esse potest nec dictum tuum,  
nec factum. Quo fiet, ut si quid, quod absit,  
designaueris, tãtò conspectius futurum sit,  
nec



## EPISTOLA.

nec citra omnium dolorem maximum. Est  
 tibi ingenium perspicax, est tenax memoria.  
 Ne patiare illud ocio turpi torpescere. Verum  
 ei doctrinam rectamque institutionem, velu  
 ti ferro acuendo cotem, adhibe. Etenim cum *Vilitas de*  
*ratio humana ignorantie nebula obfuscata disciplinarum.*  
 sit, ob idque in delectu rerum hallucinetur:  
 hacque non recte de rebus iudicante, aut ora  
 tio inepta sit oportet, aut nulla: certe ex opti  
 mis quibusque scientiis rerum natura perspe  
 cta, de rebus moribusque recte iudicari po  
 test, & commodius differi. Neque enim ver  
 ba sedem habere possunt, si res dempseris.  
 Adhuc appetitus rationalis mentis ipsi paren  
 tior redditur, cognitione disciplinarum emol  
 litus, & quasi correptus. Da igitur ope  
 ram, ut rationem & orationem, quae pra  
 cipua sunt in homine, optimis quibusque disci  
 plinis Principe dignis exornes. Quas si  
 exornatas et perfectas habueris, recte de re  
 bus iudicare & differere, teque bene gerere,  
 aliisque recte consulere poteris. Non est enim ca  
 dentis alium erigere: nec ignorantis docere:  
 nec inordinati ordinare: nec imperare eius  
 qui non paruerit imperio, hoc est, qui animi  
 & corporis perturbationes, rationis suae im  
 perio non subiecerit. Atque, ut sacrae literae *Sapient. 6.*  
 testatur, melior est sapientia viribus, et vir  
 prudens quam fortis. Eademque docent, *Re-Sapient. 6.*  
 gem insipientem perdere populum, sapientem  
 contra esse stabilimentum populi. Sed ea de  
 re



EPISTOLA.

re habes commentariū à me descriptum. Sa-  
stines apud omnes ferè maximam expecta-  
tionem imitandæ industriæ optimorū quo-  
rumq; Regum, & maiorum tuorū, cui non  
respondere indecorum est. Quare quantum  
animo conniti potes, quantum labore contem-  
dere, tantum fac ut efficias, ut tibi honori,  
& tuis iucunditati vtilitatiq;, & Reipu-  
blicæ emolumento esse possis. Neue commit-  
tas, ut ne, cū omnia suppeditata sint à tuis,  
tute tibi defuisse videare. Id autē ita futu-  
rum existimato, si in primis pietatis stu-  
diosus fueris. Inquirentes enim Do-  
minum (ait David Rex) non  
deficientur vlllo bo-  
no. Vale.

Calend. Iulij Anno Domin. 1553.